79

concordis coq(ue) certamine non enim aduer-
sus alterutrum certatis sed aduersus diabo-
lum scis omnib(us) inimicum. in ieiuniis et uigi-
liis et omni castigatione corporis qua plurimu(m)
adiuuatur oratio faciat quaeq(ue) uestrum quod
poterit quod alter minus potest facit [ea quae potest] si in al-
tero diligit quod ideo quia non potest ipsa non facit.
Proinde quae minus [ualet] non impediat plus ualentem
et quae plus ualet non urgeat minus ualentem
conscientiam quippe uestram d(e)o debetis ne-
mini autem uestrum aliquid debeatis nisi ut
inuicem diligatis

Exaudiat te d(omi)n(u)s qui potens est facere
supra quam petimus et intellegimus

Expl. ad Probam de orando d(e)o. Inc. ad Aurelium
ut de opere monachorum librum scribere me illa necessi-
tas compulit cum apud Carthaginem monasteria esse coepis-
sent alii se suis manibus transigebant obtemperantes apo-
stolo alii uero ita ex oblationibus religiosorum uiuere uole-
bant ut nihil operantes unde necessaria uel haberent uel
supplerent se potius implere praeceptum euangelicum ex-
istimarent atque iactarent ubi d(omi)n(u)s ait respicite uolatilia caeli
et lilia agri. unde etiam inter laicos inferioris propositi sed
tamen studio feruentes existere coeperunt tumultuosa
certamina quib(us) ecclesia turbaretur. aliis hoc aliis
aliud defendentibus. huc accedebat quod criniti erant
quidam eorum qui operandum non esse dicebant. unde
contentiones hinc reprehendentium, inde quasi purgan-
tium pro partium studiis augebantur. propter haec
uenerabilis senex Aurelius ecclesiae ipsius ciuitatis
episcopus, ut hinc aliquid scribere iussit et feci.
hic liber sic incipit. iussioni tuae sancte frater Aureli.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_210/0163